

INSTRUCTIONES et FORMULAE

Pro Benedictione et Impositione

SACRI SCAPULARIS

B. V. MARIAE DE MONTE CARMELO

AC

Pro Absolutione in Articulo Mortis

CONFRATRIBUS SACRI HABITUS

IMPERTIENDA.

B.

T

2
1

INSTRUCTIONES et FORMULAE

Pro Benedictione et Impositione

SACRI SCAPULARIS

B. V. MARIAE DE MONTE CARMELO

AC

Pro Absolutione in Articulo Mortis

CONFRATRIBUS SACRI HABITUS

IMPERTIENDA.



Bibliothek
MINDERBROEDERS
WEERT.

BREDÆ,

Typis. EDUARDI VAN WEES, Bibl.

1897.

Maxime Notanda.

SOLI SUPERIORES GENERALES CARMELITARUM extra Urbem in singulis Ecclesiis ejusdem Ordinis, et in quibuscumque aliis, accedente consensu Ordinariorum, Confraternitates S. Scapularis canonice erigere et instituere possunt, et NULLUS ALIUS, sub poena nullitatis. Clem. X. Bull. 6 Mart. 1673 et Leo XIII. Decr. 16 Iulii 1887.

Ad obtinendam canonicam erectionem Confraternitatis Sacri Scapularis sufficit petitiones dirigere una cum indicatione Tituli Ecclesiae in qua Sodalitas erigi debet, Loci et Dioecesis, nec non Sacerdotis, qui ejusd. Sodalitatis in spiritualibus Rector constituetur, ad RMUM. P. PRIOREM GENERALEM ORD. CARMELITAR. ROMAE in *Conventu S. Mariae Transmontinae.*)

Petitiones autem assensum Rmi Ordinarii in scriptis expressum exhibeant.

INSTRUCTIONES.

Pro sacerdotibus facultatem habentibus recipiendi ad habitum et confraternitatem

B. M. V. de Monte Carmelo.

Sacerdos legitime deputatus ad recipiendos Christifideles ad Habitum et Confraternitatem **B. M. V. de Monte Carmeli**, debet in primis curare ut habitus debito modo sint confecti, idest, ex duabus lanei panni oris, coloris tannei, aut nigri, aut ad nigredinem tendentis, duplici funiculo suspensis, ita ut supra pectus et supra dorsum Scapulare vere descendat ~~Separatum quoque debet esse Scapulare Carmelitanum a quovis alio Scapulari~~ *S. Ind. Congr. 27 Apr. 1887.*

Habitus sic confectos, praescripta forma et separatim a quovis alio Scapulari benedicat; et ubi plures sint habitus benedicendi, unica vice, omnes simul benedici possunt.

Habitus benedictos, idem Sacerdos qui eos benedixit, fidelibus petentibus, singulis separatim, imponat, praescriptam formam adhibendo; et advertat, quod vestitiones plurium simul unica vice, aut alia forma peractae, vel cumulative et commixtim cum aliis Scapularibus nullae prorsus et invalidae sunt. Sufficit vero, ut unica vice formulam praescriptam numero plurali proferat, statim ac successive et sine interruptione Scapulare singulatim omnibus praesentibus imposuerit. *S. Ind. Congr. 18 Apr. 1891.*

Nomina receptorum immediate adnotet in privato regesto quod penes se habere debet, et quam primum commode possit, nomina eadem transmittat ad Conventum vel Confraternitatem canonice erectam B. V. M. de Monte Carmeli viciniorum, ut in appositis regestis describantur. *Decr. Leon. XIII. 27 Apr. 1887.*

Curet praeterea Sacerdos ut fideles, qui in Confraternitatem S. Scapularis recipi cupiunt, sacramentis Poenitentiae ac SS. Eucharistiae muniantur, ut valeant Indulgentias lucrari, et insuper ut circa eorum onera instruantur.

Onera Generalia et Specialia.

Onera fidelium in societatem Sacri Scapularis receptorum, alia sunt generalia, alia specialia.

Onera generalia pro omnibus confratribus sunt: 1. Ut Scapulare benedictum a Sacerdote auctoritatem habente recipiendi ad Confraternitatem, recipiant. 2. Ut Scapulare semper deferant, et quidem debito modo, idest ut supra pectus et supra dorsum descendat, sed nullo modo requiritur, ut immediate corpus tangat. 3. Ut cuiusvis nomen in Regesto Conventus aut Confraternitatis inscribatur.

Notandum est eos qui semel rite recepti sunt in sodalitatem, detricto vel deperdito priori Scapulari, novum assumere posse, quin hoc sit benedictum, primum autem Scapulare quod portant confratres benedictum sit oportet.

Onera specialia pro iis, qui gaudere volunt privilegio, vulgo nuncupato, Bullae Sabbatinae (privilegio scilicet a B. V. M. concesso, et a Summo Pontifice Ioanne XXII. in terris declarato ac promulgato, quod sodales Carmeli, qui pie ab hac vita decedunt Sabbato post eorum obitum

a poenis Purgatorii liberantur), praeter supra descripta duo sunt. 1. Ut quilibet confrater castitatem observet, statui correspondentem. 2. Ut qui legere norunt, Officium parvum B. V. M. quotidie recitent (cui oneri, qui ad Officium canonicale tenentur, satisfaciunt ipsum recitando), qui vero legere nesciunt, ut a carnibus abstineant feria quarta et Sabbato, nisi forte festum Nativitatis Domini in iis diebus incidat, vel nisi iusta de causa, commutationem obtineant.

Gratiae et Privilegia Praecipua.

I. Decorantur speciali nomine Confratris, seu Filii Sanctissimae Virginis.

II. Fruuntur eius protectione speciali in omnibus tam corporis, quam animae periculis, et nominatim in hora mortis, ipsa Deipara Virgine promittente: »in quo quis pie moriens aeternum non patietur incendium."

III. Fiunt participes omnium bonorum spiritualium, quae peraguntur in toto Ordine, cui sunt adscripti; gratia quae summo opere iuvat non tantum in vita

praesenti, sed etiam quando patiuntur in Purgatorio.

IV. Liberatio e Purgatorio primo Sabbato post mortem, si tamen praescriptas servaverint conditiones.

V. Concessio sequentium indulgentiarum. Praeter plurimas partiales in Catalogo descriptas, quae leguntur in Ecclesiis Carmelitanis cum ipsis Summorum Pontificum nominibus, qui eas concesserunt, lucrantur sequentes indulgentias plenarias :

In die quo sacro Habitu, seu sacro Scapulari induuntur. Primo Ianuarii. Secundo et quarto Februarii. 19 et 25 Martii. Feria quinta in Coena Domini. In festo Patrocinii S Ioseph. In festo Ascensionis Domini. 5, 16, 25 Maii. 14 Iunii. 2, 16, (vel Dominica seq. in qua celebr. Fest. B. V. M. de Monte Carmelo). 20, 26 Iulii. 7, 15, 27 Augusti et Dominica infra octavam Assumptionis B. M. V. 8 et 29 Septembris. 15 Octobris 14, 15, 21, 24 Novembris 8 Decembris. Lucrantur, inquam, dictis diebus indulgentias plenarias qui rite sacramentaliter confessi sunt et communicati, atque Ecclesiam Ordinis Carmelitani, vel, ubi nulla adest Ecclesia Carmelitarum Eccle-

siam Parochialem, visitaverint, (quod si non possint, commutet Confessarius dictam visitationem in alia pia opera), ibique oraverint pro Summo Pontifice, et pro Sancta Matre Ecclesia. Ex Reg. Archivii Ordinis, exhibito et approbato in Visitatione Apostolica anno Iubilaei 1825.

In locis ubi adest Ecclesia Fratrum vel Monialium Ord. Carmelitarum lucrari possunt Indulgentiam plenariam *toties quoties* die 16 Iulii, vel Dominica sequenti ubi adest consuetudo celebr. Festum B. V. M. de Monte Carmelo in dicta Dominica.

VI. Absolutio generalis, et Indulgentia plenaria in articulo mortis.

Formula Benedicendi

ET IMPONENDI SOLEMNITER CHRISTIFIDELIBUS

Habitum sive Scapulare

B. M. V. DE MONTE CARMELO.

*Persona vel personae recipiendae ad
Habitum genuflectant ante altare B. M.
Virginis, vel Altare maius, et tunc
Sacerdos deputatus a Reverendissimo
Priore Generali Ordinis Carmelitarum,
superpelliceo et alba stola indutus dicat:*

Ant. Suscepimus Deus.

Psal. 41. Magnus Dominus.... *vel*
Psal. 132. Ecce quam bonum, et quam
jucundum, habitare fratres in unum *etc.*
Gloria Patri. etc.

Antiph. Suscepimus Deus misericor-
diam tuam, in medio templi tui: se-
cundum nomen tuum Deus sic et laus
tua in fines terrae: iustitia plena est
dextera tua.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster.

ŷ. Et ne nos inducas in tenta-
tionem.

℣. Sed libera nos a malo.

- Ÿ. *Salvum fac servum tuum.*
 R. Deus meus *sperantem* in te.
 Ÿ. Mitte *ei* Domine auxilium de
 sancto.
 R. Et de Sion tuere *eum*.
 Ÿ. Nihil proficiat inimicus in *eo*.
 R. Et filius iniquitatis nom apponat
 nocere *ei*.
 Ÿ. Domine exaudi orationem meam.
 R. Et clamor meus ad te veniat.
 Ÿ. Dominus vobiscum.
 R. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Suscipiat *te* Christus, in numero fidelium suorum, et nos licet indigni *te* suscipimus in orationibus nostris. Concedat *tibi* Deus per Unigenitum suum, mediatorem Dei et hominum, tempus bene vivendi, locum bene agendi, constantiam bene perseverandi, et ad aeternae vitae haereditatem feliciter perveniendi. Et sicut nos hodie fraterna charitas spiritualiter iungit in terris, ita divina pietas, quae dilectionis est auctrix et amatrix, nos cum fidelibus suis coniungere dignetur in coelis. Per eundem Christum Dominum nostrum. R. Amen.

O R E M U S.

Adesto Domine supplicationibus nostris et *hunc famulum tuum*, quem in tuo sancto nomine ad participationem omnium bonorum spiritualium, et fraternitatem recipimus huius sacrae Religionis, Beatae Genitrici tuae Virgini, et Matri Mariae specialiter dedicatae, bene $\times$ dicere digneris: et praesta; ut te largiente *devotus* in Ecclesia persistere valeat cum augmento virtutum: atque suffragiis huiusmodi sacri Ordinis *adiutus* vitam percipere mereatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum. $\mathcal{R}$. Amen.

Deinde conversus ad Habitum dicat:

$\mathcal{Y}$. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

$\mathcal{R}$. Et salutare tuum da nobis.

$\mathcal{Y}$. Domine Deus virtutum, converte nos.

$\mathcal{R}$. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

$\mathcal{Y}$. Domine exaudi orationem meam.

$\mathcal{R}$. Et clamor meus ad te veniat.

$\mathcal{Y}$. Dominus vobiscum.

$\mathcal{R}$. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Suppliciter te, Domine, rogamus, ut super *hunc habitum servo tuo imponendum* bene $\times$ dictio tua benigna descendat, ut sit bene $\times$ dictus, atque divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium et invisibilium tela nequissima. $\mathcal{R}$. Amen.

O R E M U S.

Caput omnium fidelium Deus, et humani generis Salvator, *hunc habitum, quem propter tuum, tuaeque Genitricis Virginis Mariae de Monte Carmeli amorem, atque devotionem servus tuus est delaturus, dextera tua sancti $\times$ fica*; et hoc, quod per illud mystice datur intelligi, tua semper custodia, corpore et animo *servetur*: et ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus felicissime *perducatur*. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. $\mathcal{R}$. Amen.

O R E M U S.

Creator, Conservator, et Salvator omnium largitor humanae salutis Deus, et dator gratiae spiritualis, benedi $\times$ ctionem

tuam super *hunc habitum* inmitte: ut qui eum *gestaverit*, caelesti virtute *munitus*, fidem integram, spem firmam, et charitatem desideratam *teneat* et a te nunquam separari permittas. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. R. Amen

Deinde aspergat aquam benedictam super Habitum, et postea ipsum imponat personae recipiendae cuilibet separatim, dicens:

Accipe *vir devote (vel mulier devota)* hunc habitum benedictum: precans Sanctissimam Virginem ut eius meritis illum perferas sine macula et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducatur aeternam. R. Amen.

Deinde dicat:

Ego ex potestate mihi tradita, et concessa, suscipio ac recipio *te* ad participationem omnium orationum, disciplinarum, precum, suffragiorum, eleemosynarum, ieiuniorum, vigiliarum, Missarum, Horarum canonicarum ac caeterorum bonorum spiritualium, quae passim die, noctuque (cooperante misericordia Jesu Christi) a Religiosis totius nostrae sacrae Religionis peraguntur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. R. Amen.

Postea signo Crucis benedicens personam receptam dicat.

Bene✠dicat *te* conditor caeli et terrae Deus omnipotens, qui *te* eligere dignatus est ad beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmeli societatem et Confraternitatem: quam precamur, ut in hora obitus *tui* conterat caput serpentis, qui *tibi* est adversarius: et tandem tamquam victor, palmam et coronam sempiternae haereditatis consequaris: Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Deinde aspergatur persona aqua benedicta.

Si mulier recipienda sit, vel plures simul recipiendi sint, mutetur genus et numerus.

Quando Habitus solummodo benedicendus erit, tunc benedictio incipit a y. Ostende nobis Domine, et concluditur cum Orat. Creator etc.

Omnibus expletis, Sacerdos in libro Confraternitatis describet nomen Confratris, quem paucis sed efficacioribus verbis adhortetur ad caute, pie sancteque vivendum, ad onera omnia adimplendum generalia pro omnibus Confratribus, tum specialia pro iis qui gaudere volunt

*privilegio, vulgo nuncupato, Bullae Sab-
batinae (circa quae eundem sufficienter
instruat) atque ad Virginem Deiparam
in posterum peculiaribus devotionis obse-
quiis assidue colendam, Eamque veluti
singularem ac dulcissimam Matrem filiali
et sincero affectu proseguendam.*

Formula Brevior.

Benedicendi et imponendi Christifidelibus S. Scapulare
approbata a S. R. C. 24 Iulii 1888 et quae adhiberi
poterit, praesertim in privatis receptionibus vel
occasione magni concursus ad Sacerdotis recipientis
commoditatem.

*Persona recipienda ad habitum genuflexa,
sacerdos cotta et Stola (stola saltem) indutus
dicat :*

Ÿ. Ostende nobis Domine misericor-
diam tuam.

℞. Et salutare tuum da nobis.

Ÿ. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Domine Iesu Christe, humani generis Salvator, *hunc habitum quem* propter tuum tuaeque Genitricis Virginis Mariae de Monte Carmelo amorem *servus tuus* devote *est delaturus* dextera tua sanctifica, ut eadem Genitrice intercedente ab hoste maligno *defensus*, in tua gratia usque ad mortem perseveret: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Deinde aspergat aquam benedictam super Habitum et postea imponat personae, vel personis (cuilibet separatim) dicens :

Accipe hunc habitum benedictum precans Sanctissimam Virginem, ut eius meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat atque ad vitam perducatur aeternam. Amen.

Postea subiungat :

Ego ex potestate mihi concessa, recipio te ad participationem omnium bonorum spiritualium, quae cooperante misericordia Iesu Christi, a Religiosis de Monte Carmelo peraguntur in nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Bene~~X~~dicat *te* Conditor coeli et terrae
Deus Omnipotens, qui *te* cooptare dignatus est in Confraternitatem Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, quam exoramus, ut in hora obitus *tui* conterat caput serpentis antiqui, atque palmam et coronam sempiternae haereditatis tandem *consequaris* Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur persona aqua benedicta. Si mulier recipienda sit, vel plures simul, mutetur genus et numerus.

Si Habitus solummodo benedicendus sit, tunc benedictio incipit a ꝑ. Ostende. et concluditur cum Oratione Domine Iesu Christe.

Formula Benedictionis seu Absolutionis Generalis cum Indulgentia Plenaria.

In articulo mortis dandae fratribus et confratribus
sacrum Scapulare B. V. Mariae de Monte Carmelo
gestantibus, a Sacerdotibus facultatem habentibus.

*Sacerdos, ingrediendo cubiculum, ubi iacet
infirmus, dicat :*

Ÿ. Pax huic domui.

℟. Et omnibus habitantibus in ea.

*Deinde imposita sibi stola violacei
coloris aegrotum, cubiculum et circum-
stantes aspergat aqua benedicta, si com-
mode fieri poterit, dicendo :*

Ant. Asperges me, Domine, hyssopo
et mundabor, lavabis me, et super nivem
dealbabor.

Ÿ. Miserere mei, Deus, secundum
magnam misericordiam tuam.

℟. Et secundum multitudinem mise-
rationum tuarum dele iniquitatem meam.

Ÿ. Gloria Patri etc. ℟. Sicut erat etc.

Ant. Asperges me etc. ut supra.

*Deinde, infirmo humaniter salutato,
ut spem suam in Christi meritis ac
Passione, nec non Deiparae Virginis,
quae Confratrum Carmelitarum Mater*

est ac Patrona, collocandam gravibus (non artificiosis) verbis adhortetur.

Inquirat an infirmus habitum gerat: quod si eum non habere deprehendat, antequam ad generalem hanc impendendam Absolutionem deveniatur, Habitus ab infirmo resumatur, moneatque Sacerdos moribundi consanguineos ac familiares, ne tam proficuum contra demones munimen tamque amabile salutis pignus ab ipso auferri permittant.

Quod si aegrotus voluerit confiteri audiat illum et absolvat, si Sacerdos talem facultatem habeat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis, ac de huius Benedictionis efficacia et virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat, atque hortetur ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque se paratum offerat ad ultro acceptandum quicquid ei placuerit et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit; tum piis ipsum verbis consoletur in spem erigens fore ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem et vitam sit consecuturus aeternam.

Postea dicat : V. Adiutorium nostrum
in nomine Domini. R. Qui fecit Coelum
et terram.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta
famuli tui (*vel ancillae tuae*) neque vin-
dictam sumas de peccatis eius.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie
eleison. Pater noster *secreto*.

Y. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

Y. Salvum fac servum tuum (*vel ancillam
tuam et sic deinceps*).

R. Deus meus, sperantem in te.

Y. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Y. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Clementissime Deus Pater misericor-
diarum, et Deus totius consolationis,
qui neminem vis perire in te credentem
atque sperantem: secundum multitudinem
miserationum tuarum respice propitius
famulum tuum N, quem tibi vera fides,
et spes christiana commendat. Visita
eum in salutari tuo, et per Unigeniti

tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge: ut eius anima in hora exitus sui te Iudicem propitiatum inveniatur, et in sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum Dominum nostrum. *R. Amen.*

Tum dicto ab uno ex adstantibus Confiteor Sacerdos dicat: Misereatur etc. Indulgentiam etc. Deinde:

Dominus noster Iesus Christus Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi; per suam piissimam misericordiam recipiat Confessionem tuam et restituat tibi stolam primam quam in Baptismate recepisti: et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris *etc.*

Per sacrosanctae humanae reparationis mysteria, remittat tibi omnipotens Deus, omnes praesentis et futurae vitae poenas, Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducatur. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, ✠ Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque Confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur; dicendo: Misereatur... etc. Indulgentiam... etc. ac Dominus noster etc., et si mors nimis sit imminens dicat:

Indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo in nomine Patris ✠ et Filii, et Spiritus Sancti. Amen

His absolutis, Sacerdos genuflexus cum adstantibus poterit si voluerit et opportunum duxerit, preces sequentes recitare.

Litaniae B. V. Mariae.

Kyrie eleison.	Kyrie eleison.
Christe eleison.	Christe eleison.
Kyrie eleison.	Kyrie eleison.
Christe audi nos.	Christe audi nos.
Christe exaudi nos.	Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere ei.	
Fili Redemptor mundi Deus, miserere ei.	
Spiritus Sancte Deus, miserere ei.	
Sancta Trinitas unus Deus, miserere ei.	
Sancta Maria, ora pro eo, (a).	
Sancta Dei Genitrix,	
Sancta Virgo Virginum,	
Mater Christi,	
Mater divinae gratiae,	
Mater purissima,	
Mater castissima,	
Mater inviolata,	
Mater intemerata,	
Mater amabilis,	
Mater admirabilis,	
Mater Creatoris,	
Mater Salvatoris,	
Virgo prudentissima,	
Virgo veneranda,	
Virgo praedicanda,	
Virgo potens,	
Virgo clemens,	

ora pro eo, (a).

Virgo fidelis, ora pro eo, (a).
 Speculum iustitiae,
 Sedes Sapientiae,
 Causa nostrae laetitiae,
 Vas spirituale,
 Vas honorabile,
 Vas insigne devotionis,
 Rosa mystica,
 Turris Davidica,
 Turris eburnea,
 Domus aurea,
 Foederis arca,
 Ianua Caeli,
 Stella matutina,
 Salus infirmorum,
 Refugium peccatorum,
 Consolatrix afflictorum,
 Auxilium Christianorum,
 Regina Angelorum,
 Regina Patriarcharum,
 Regina Prophetarum,
 Regina Apostolorum,
 Regina Martyrum,
 Regina Confessorum,
 Regina Virginum,
 Regina Sanctorum omnium,
 Regina sine labe originali concepta,
 Regina Sacratissimi Rosarii,
 Mater et Decor Carmeli,

ora pro eo, (a).

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Parce ei Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Miserere ei.

Pater noster *etc.*

Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos a malo.

Sub tuum praesidium confugimus,
Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera eum (*eam*) semper, Virgo gloriosa et benedicta: Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo eum (*eam*) Filio reconcilia, tuo eum (*eam*) Filio repraesenta.

Ÿ. Ora pro eo (*ea*) Sancta Dei Genitrix.

℞. Ut dignus (*digna*) efficiatur promissionibus Christi. Ÿ. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat. Ÿ. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Concede *hunc famulum tuum*, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis

et corporis sanitate gaudere, et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessionem a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Omnipotens sempiterne Deus conservator animarum, qui, quos diligis, corripis, et quos recipis pie ad emendationem coërces; te Domine, deprecamur, ut medelam tuam conferre digneris in animum *famuli tui*, qui in corpore patitur membrorum debilitatem, vim laboris, stimulos infirmitatum: da ei, Domine, gratiam et misericordiam tuam, ut in hora exitus illius de corpore, absque peccati maculi, Creatori proprio, per manus sanctorum Angelorum, eius Anima repraesentari mereatur.

Omnipotens et clementissime Deus, qui Montis Carmeli Ordinem gloriosissimae Virginis Mariae, Genitricis Filii tui Domini nostri Iesu Christi, sacro titulo insignitum, Sanctorum tuorum Eliae et Elisei Prophetarum, Angeli, Petri Thomae et Anastasii Martyrum, Cyrilli, Andreae et Alberti Confessorum, Euphrasiae, Teresiae et Mariae Magdalenae Virginum, et aliorum plurimorum meritis decorasti; tribue huic, quaesumus, ut per eorum suffragia ab instantibus malis animae et

corp
meli
reat
nost

P
mun
com

Ma
ab
et
pr
Cl

ra

P
d
A

corporis *liberatus*, ad te, verum Carmeli verticem, gaudens pervenire mereatur. Per eundem Christum Dominum nostrum. *℟*. Amen.

Postmodum, antequam recedat, infirmum sequenti oratione Deiparæ V. Mariæ commendet.

Maria mater gratiæ

Mater misericordiæ

Tu hunc ab hoste protege

Et mortis hora suscipe.

Defende quaesumus, Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate Creaturam tuam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

In omni tribulatione et angustia succurrit tibi piissima Virgo Maria. Amen.

Pax et benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ et Filii et Spiritus Sancti descendat super te et maneat semper. Amen.



RITUS ORDINIS CARMEL.

REIMPRIMATUR.

Fr. Paphaël Pierotti O. P. S. P. A. Magister

REIMPRIMATUR.

Iulius Lenti Patriarcha Const. Vicesg.

IMPRIMATUR.

BREDÆ, 28 Oct. 1897.

J. J. M. VAN GOCH,

LIBR. CENS.